

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis
Farrago**

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Eidem

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

num uellet eum abducere à studio. Cùm autè ipse
 adolescens cupiat procedere in doctrinis: multo ma-
 gis iudico nõ abducendũ esse à literis. Sed placet mi-
 hi, ut sit apud uirum eruditum in iure, ubi incipiat
 eius doctrinæ principia rectè discere: ac Deũ oro,
 ut & consiliũ patris, & totum cursum uitæ et stu-
 diorum adolescentis gubernet. Bene uale 16 Fe-
 bruarij, 1556.

Iussi ut ad me scriberet de sua uoluntate. Eam e-
 pistolam patri legendam exhibeas. Hamburgensis
 multis ægrotis fuit gratus: ideo illo munere delecta-
 tus sum. Ego non admodum scriui soleo, sed benuo-
 lentiam honesti uiri magnifacio: & ubi gratificari
 potero, uicissim meam beniuolentiam declarabo.

Eidem.

S. D. Reuerende uir, & charissimo frater:
 ut ueniens annus sit faustus & felix Ecclesijs no-
 stris, & eorum hospitij, & pijs Principibus, & ti-
 bi & ecclesiæ tuæ domesticae, faciat Deus æternus
 Pater Domini nostri Iesu Christi, qui & ordinẽ in
 natura instituit, et metas annorum distinxit, ut testi-
 monia de se illustra ostendat. Profectò metuo hoc
 anno tribus horrendis bellis arsuram esse Germa-
 niam, Turcico in Pannonia, Gallico in Belgis, uici-
 nali ad Moenum. Nam astrorum positus, eclipses,
 prodigia, & hominum furores munitur bella &
 rabiam

rabiem docentiū. Oro autem filium Dei, ut nos gubernet & seruet. Quod filius tuus in Silesia ad docendam iuuentutem uocatus est, gratulor ei hanc militiam: & sum hortatus, ut in hoc labore utili & grato seruiat Deo: teq; ut hoc consilium comprobet, adhortor. Utinam ego, etsi tantum fuisssem humilis pædagogus: tamen in tali pædagogia ætatis imbecillioris mansissem, de qua dicit filius Dei: Non est uoluntas Patris, ut pereat unus de paruulis istis. Quantum solatiū est pro pædago, sedere in hoc cœtu iuniorum, qui Deo placent: & docere tenera ingenia, ut recte inuocent Deum, & deinde fiant organa utilia Ecclesiæ. Tales cœtus aliquos protegat filius Dei inter imperiorum ruinas. Bene uale, Die 20 Decembris, 1555.

Venerabilib. & optimis uiris, uerbi Dei ministris in Northusio, fratribus suis in Domino charissimis, Gratiam & pacem in Christo.

Optimi uiri, uidetis ipsi, quãtas in Ecclesia turbas ubiq; excitet Sathan, tot scilicet opinionibus ferè regnantibus, quot sunt ministrorum capita. Unde & ad me peruenit rumusculus quidã, esse inter uos quoq; subortas quæstiuiculas de rebus ualde leuiculis. Nam de summa pietatis, fama uestra adhuc integrã est. Nihilominus ut est rude uulgus, &

t pie-